

QUÆSTIO IV.

Qualiter Sacerdotes in celebratione Missæ delinquant?

26 Multifariè possunt delinquere Sacerdotes in Missæ celebratione, prout videre est apud Ursagam *Instit. Crim. lib. 1. tit. 4. à n. 36.* Nempe delinquant I. si ad Altaris Ministerium accedant non-jejuni *cap. Sacramenta 49. de Consecrat. dist. 1. cap. si confiterit 12. de Acensat. ubi Fagnanus num. 16. & seqq. intelligendò per jejunium, non Ecclesiasticum, sed naturale.* II. si celebrent sæpiùs in una die, exceptatum Nativitatis Dominicæ solennitate, tum moralls necessitatis, tum Sacrificiù interrupti perficiendi exigentiâ; licet enim, ut disserit Ursaga *d. l. num. 37.* per Sacros Canones expressè non reperiatur prohibitum, sed dicatur solum, quòd sufficiat unam Missam celebrare *cap. sufficit 53. de Consecrat. d. dist. 1. cap. consulisti 3. de Celebrat. Missar. hodie tamen reiterata celebratio, tanquam potius avaritiæ quàm devotio-nis causâ facta, judicatur valde gravis inhonestâ, & non leve crimen continet, punibile etiam ab Inquisitoribus hæreticæ pravita-tis, ut observavit Gonzalez ad *cit. cap. consu-luisti in f.* Videatur Pignatell. *tom. 4. conf. 1. à num. 5.* ubi tractat de pœna transgressorum.*

29 III. si Sacrificium offerant super Altari non consecrato *cap. tabernaculum 2. junctò cap. nul-lus Presbyter 25. de Consecrat. d. dist. 1.* IV. si Sacrificium peragant sinè admixtione aquæ *cap. cum Martia 6. §. quævisisti. cap. in quadam 8. cap. ult. de Celebrat. Missar.* V. si Missam celebrent sinè accensis candelis *d. cap. ult. de Celebrat. Missar. ubi quidam Presbyter Brixinensis, qui ita celebraverat, & alios abusus in Missa admitterat, fuit ab officio & benefi-cio suspensus.* Ut verò candelæ sint ex-cera, est quidem antiquissimus usus Ecclesiæ; at tamen in *cit. cap. ult.* nihil de cera determi-natur, sed tantum dæmnatur præfatus Pres-byter, qui sinè igne sacrificabat. Quare (verba sunt Pignatelli *tom. 7. consult. 55. n. 4.*) licet uti luminibus ex oleo, uti sit coram SS.

Evcharistiæ Sacramento; vel ob præcisam necessitatem ex adipe, saltem ex dispensatio-ne Apostolica: cum id sit tantum contra con-suetudinem Ecclesiæ, in qua ob gravem ne-cessitatem potest dispensari. VI. si conficiant sanguinem Christi in calice ligneo vel vitreo *d. cap. ult. de Celebr. Missar. cap. vasa 24. cap. ut calix 45. de Consecrat. dist. 1.* VII. si absque vestibus sacris ministeriò Altaris fungantur per *cap. Ecclesiastica 9. dist. 23.* VIII. si celebraverint in locis aut domibus privatis, vel in oratoriis, sinè licentia Episco-pi erectis *cap. hic ergo 14. cap. nullus 15. de Consecrat. dist. 1.* IX. si propter crapulam aut ebrietatem Evcharistiam evomuerint *cap. si per ebrietatem 28. de Consecrat. dist. 2.* X. si per ipsorum negligentiam aliquid de san-guine Domini stillaverit in terram, tabulam, Altare, aut linteamina *cap. si per negligentiam 27. cit. dist.* XI. si Missam celebrandò se fin-gant consecrare hostiam, & non consecrent, illamque populo adorandam ostendant *cap. de homine 7. de Celebrat. Missar.* XII. si post Consecrationem Corporis & Sanguinis Do-mini ad ejus lumptionem non devenerint, ac communionem omiserint *cap. relatum 9. de Consecrat. dist. 2.* XIII. si in materna & vulgari lingua Missam dixerint. Concil. Trid. *Sess. 22. cap. 8.* XIV. si Sacerdotes, cu-ram animarum non habentes, cessante legi-timo impedimentò, non celebrent saltem quater in anno & præcipuis festivitibus; tum quia, ut dicit Ursaga *d. l. num. 58.* alio-quin præberetur occasio scandali: tum quia id præcepisse videtur Christus Dominus, cum dixit Apostolis: *hoc facite in meam commemorati-onem.* Quamvis S. Congregatio con-sulta, an Episcopus possit sub pœnis & cen-suris ad id simplices Sacerdotes cogere, re-sponderit, solis adhortationibus & admoni-tionibus uti posse. Fagnanus ad *cap. dolentea de Celebrat. Missar. num. 13.*

QUÆSTIO V.

Quale duellum, & sub quibus pœnis, sit prohibitum?

44 Declaratum id hòc *cap. à num. 102.* Modò addendum I. ex Ludovico de Ameno *de Delict. tit. 7. §. 4. num. 18.* & sententia Ur-sagæ *Instit. Criminal. lib. 2. tit. 5. num. 66.* non cenferi verum duellum, quod instituitur ad solam apparentiam, puta quia duo antea inter se conveniunt, quòd nullus alterum vul-nerare, sed honoris causâ duellum simulare velint. Subjungit tamen hic Author, eandem sententiam procedere solum in foro interno quoad pœnas spirituales, non etiam in foro externo & quoad pœnas temporales, dum in eo foro non perferuntur animi cogitationes, sed actus externus attenditur. Pignatell. *tom. 9. consult. 88. num. 92.*

II. ex mente dicti Ludovici de Ameno *num. 6. & seq. ac Ursagæ num. 69. & seq.* de-terminationem certi loci & temporis, & mu-tuam acceptationem esse planè necessariam pro formali duello, adeò ut, si provocatus provocanti responderet: *sum Christianus, non accepto duellum, sed vado per civitatem, & primò vice, quæ mihi obviabit, dabo tibi satisfactionem;* uti & si diceret: *pugnabo tecum primò vice, quæ mihi per urbem venies obviabit &c.* non verifica-retur duellum, ex quo tota urbs non est prop-ria loci assignatio. Pignatell. *d. conf. 88. num. 90.*

III. juxta *cit. Ursagam num. 88.* pœnas, in

in duellantes constitutas, non incurri ante sententiam Judicis declaratoriam: quia, tam-etsi Concil. Trid. statuerit excommunicatio-nem latæ sententiæ, at tamen ex ratione per Sylvestrum in *summa verb. assassinus num. 4.* ad-ductâ, omnia Jura mundi quæ dicunt, ipsò factò vel ipsò jure pœnam imponi, intelligi debent, dummodò secuta fuerit sententia, per quam declaratur, fuisse commissum cri-men, propter quod pœna illa ipsò factò im-ponitur. Quoad excommunicationem verò & sepulturæ Ecclesiasticæ privationem valde dubito, an non, saltem in casu duelli notorii, absque alia declaratione incurran-

tur: cum ejusmodi pœnæ statim operentur suum effectum, esto nulla sequatur criminis declaratio. Clariss. P. Schmalzgueber ad *de Cleric. pugnans. in duello num. 53. & 57.* Pignatell. *d. l. numer. 74. & seqq. item nu-mer. 161.*

IV. cessare pœnas duelli, quando quis statuto tempore & loco comparuit, paratus ad conflegendum, sed, non comparente ad-versariò, rursus discessit *arg. Concil. Trid. Sess. 25. de Ref. cap. 19. in verb. qui vero pugnam commiserint &c.* Pignat. *d. l. num. 95. & seqq.* ubi dissentientibus, & contrarium stylium curiæ objicientibus, respondet.

SUPPLEMENTUM
AD
TRACTATUM III.
DE
DELICTIS SÆCULARIBUS.

CAPUT I.

De Privatis, & quasi-Delictis.

SUMMARI A.

1. Clericus ob factum non manifestum non puni-tur nisi pœnâ levi. 2. & seqq. Punitur autem ob factum manifestum. 5. & seqq. Disquiri-tur, an fur à pœna excusetur, si dominus rei ablata dicat, se non fuisse in vitium? 7. & seqq. Ex L. Aquilia potest agi ob culpam levissimam. 12. Etiam si in omitendo consistat. 13. & seqq. Exenteratur l. 13. §. 2 ff. de Usufr. 16. Ex culpa merè juridica non oritur obligatio in conscientia. 17. & seqq. Ab injuria quis ex-cusatur, quando abest animus injuriandi. 21. Aut calor iracundia concurrat. 22. & seqq.

Si iusta fuerit, ortaque ex alterius improbitate? 25. & seqq. Examinatur, an vitium corporis, alteri objectum, excuset? 29. & seqq. Item an veritas convitii? 35. & seqq. Item si quid contra mortuum aut absentem dicatur? 40. & seqq. Item si dicta ab aliis promulgentur? 44. Ex damno, ab animali dato, non consurgit obligatio conscientia. 45. & seqq. Confirma-tur paritas inter delictum Legis Aquilia & damnum, ab animali causatum. 50. & seqq. Ratio opposita enervatur.

QUÆSTIO I.

Quomodò Clerici puniantur propter furtum?

1 Ursaga *Instit. Criminal. lib. 2. tit. 8. num. 60. & seq.* ita distinguit. Vel furtum non est manifestum, vel est manifestum. Si non est manifestum, quia v. g. Clericus de facto non est diffamatus, non punitur, nisi aliqua pœnâ levi, & per modum pœnitentiæ lalutaris, nec impeditur ejus promotio. *cap. ult. de Furt.* Si est manifestum, ac de eo Cle-ricus publicè diffamatus, non solum impedi-

tur promovendus, sed etiam deponitur pro-morus *cap. de his verò 34. dist. 50. cap. tunc 6. de Pœnis.* Id quod in *hoc cap. num. 42.* intel-lexi de furto notabili & iterato *arg. cap. Pres-byter 12. dist. 81.* Quòd si depositus incor-rigibilem se exhibeat, excommunicatur, & contumaciâ perseverante, Curia sæculari tra-ditur *cap. cum non ab homine 10. de Judic.*

An Clericus vel alius fur à pœna furti li-bere-

beretur, quando dominus rei subtractæ dicit, eam de sua voluntate ablata fuisse? Authores pro utraque parte allegat Francisc. Jos. de Angelis de Delict. p. 1. cap. 58. num. 8. Videtur tamen in affirmativam cum aliis propendere, quando non solum adest assertio

domini (quæ alias non sufficeret) sed etiam aliz conjecturæ suffragantur, v. g. amicitia, consanguinitas, parvitas rei ablata, consuetudo permittendi talia furta, maxime si assertio domini fuerit jurata.

QUÆSTIO II.

Quandònam ex L. Aquilia oriatur obligatio ad resarciendum damnum?

- 7 Repeto, quæ in hoc cap. cor. sect. 3. discussæ sunt, & statuo I. etiam ex culpa levissima oriri hanc obligationem juxta differtum textum in l. in lege 44. in pr. ff. ad L. Aquil. cujus exemplum Huberus ad Instit. d. t. num. 3. ponit in iis, qui mulorum aut equorum impetum propter imperitiam aut infirmitatem retinere non potuerunt §. impetu quoque 8. Inst. eod. Sufficit enim, ita damnum esse commissum, ut aliàs id in simili occasione devitare potuisset d. §. qua est descriptio culpa levissima in §. igitur 1. in fin. Inst. de Obligat. que ex 10 quasi-contr. Et hoc quidem, ut fatear veritatem, est a liquid prius singulare, ut culpa levissima, in quam etiam homines solertissimi proclives sunt, æquè hic puniatur ac culpa lata; utve in L. Aquilia deliquisse censetur, qui dolum nullum admisit. Verum, ut advertit cit. Huberus, in præsentia negotio non agitur de pœna corporis, aut infamia, sicut in aliis delictis, sed tantum in disceptationem venit, uter damnum datum ferre debeat? Ratio autem vult, ut potius ille, cujus aliqua est culpa, ferat damnum, quam ut is, qui nullius coargui potest, delicti reus habeatur.
- 12 Statuo II. culpam etiam, quæ in omitendo consistit, fundare delictum L. Aquiliæ per textum in hoc cap. num. 66. citatos: quia est vera culpa, in Legis animadversionem in-

cidens per l. qui non facit 121. ff. de R. J. & cap. ult. de Injur. & damno dato. Nec officit 13 textus, alioquin in contrarium objici solitus, in l. si cuius 13. §. 2. ff. de Usufr. ubi L. Aquilia non teneri dicitur, qui agrum non præcincidit, qui vites non subierit, item aquarum ductus corrumpi patitur. Nam, ut textum 14 hunc egregiè solvit Clariss. D. Franz ad tit. Inst. de Lege Aquil. num. 31. non idè in casu memorato Lex Aquilia locum non sortitur, quia damnum datum est culpa omissionis, sed quia res, in usum tractum concessa, mansit illæsa, & sola spes lucri fuit interversa; cum tamen eadem Lege non aliud damnum vindicetur, ac quo præsens rei status corrumpitur. Et, quamvis mentio fiat de corruptione aquæ ductus; illa tamen, si consistat in exsiccatione fossarum seu canalium, per quas aqua ex fundo vicino ducitur ad nostrum, non tam substantiam fundi usufructuarii quam ejus utilitatem concernit.

Statuo III. ex culpa merè juridica ex L. 16 Aquilia non oriri obligationem in conscientia ante Judicis sententiam; ipsamque sententiam stringere quidem in foro conscientia, non tamen pro foro conscientia. Amplexi sunt hanc sententiam Clariss. DD. P. Benedictus Schmier ad tit. de Injur. & damno dato n. 18. & seqq. & P. Plac. Böckh ad d. t. n. 16. & seqq. ubi plures objectiones ponuntur & diluuntur.

QUÆSTIO III.

In quibus casibus quis possit excusari ab injuria?

- 17 Excusari quis potest ab injuria in variis casibus. I. quando absque animo injuriandi aliquid contumeliosum dixit aut fecit l. illud 3. §. 3. ff. de Injur. ut dictum 18 in hoc cap. num. 107. Adèd ut Jacobus de Ameno in tract. de Delict. & pœn. tit. 5. §. 3. num. 9. generaliter asserat, injuriatum debere probare animum injuriandi: cum semper probanda sit illa qualitas, quæ facit ad constituendum delictum, & sine qua delictum non est delictum. Quamvis cit. Ludovicus de Ameno num. 10. cum communi hanc assertionem tantum admittat, ubi dictum aut factum non est ex se probrosum aut injuriosum: quia dictum aut factum tale præsumitur ex animo pariter injurioso procedere, nisi probetur contrarium l. si non convi-

tit 5. Cod. de Injur. Probatur autem per 20 conjecturas, ex quibus serè præcipua est qualitas personæ injuriantis, quæ, si consanguinea sit, & quidem juxta quosdam usque ad septimum gradum; aut si superioritatem aliquam habeat supra injuratum, ut sunt Prælati, Magistratus, Magistri, præceptores &c. animò injuriandi carere creduntur. Ludovicus de Ameno d. l. num. 12.

II. Quando ex calore iracundiæ quidpiam fit aut dicitur ad alterius contumeliam: quia inconsultus calor calumniæ vitio caret, & ob hoc nullam pœnam huic irrogari oportet. cap. si quem 8. III. §. notandum II. quæst. 3. Cum verò calor iracundiæ non semper excuset à delicto; & in cit. l. si non convitit 5. supponatur, eum, qui in rixam inconsulto calore prolapsus homicidii convitium objecit, tum demum

- num ab actione injuriæ liberum esse, quando annus jam elapsus est: hinc oportet distinguere, utrum iracundia sit justa, vel injusta: si injusta; non facit à culpa injurians absolvi poterit: si justa fuerit, atque alterius improbitate, insultatione contumelia, verberatione, pulsatione, aut alio facto injurioso extorta, excusat à culpa & pœna. Covarruv. var. resolut. lib. 1. cap. 11. num. 6. Gail. lib. 1. observat. 106. num. 9. & seqq. & obs. 110. num. 35. Bald. consil. 343. allegans Aristotelem, dicentem, quòd non incipit, qui irà aliquid facit, sed qui ad iram provocat, cum ipse fuerit causa mali. Textus accommodatus in l. si quadrupes 1. §. 11. ff. si quadrupes &c. l. quoniam 6. Cod. ad L. Jul. de vi publ. Videtur enim talis esse provocatus ad maledicendum; provocatus autem ignoscendum esse, quòd se ulcisci voluerit colligitur ex l. qui cum major 19. §. 6. ff. de Bon. libert. l. scientiam 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.
- III. quando alicui objicitur vitium corporis aut fortunarum, dicendò v. g. tu es claudus, cæcus, surdus, pauper &c. quamvis enim & hæc vitia per se loquendo constituent objectum injuriæ per l. item apud 15. §. 5. & ff. de Injur. Attamen, ut loquitur Huberus ad d. tit. Inst. num. 3. non facit dabit actionem Judex ob id, quod quis ob corporis aut fortunæ vitium objicit, nisi quid se- 25 cus ex personarum actionumque circumstantiis videatur arg. d. l. item apud 15. §. 25. & 27 seqq. Nam, si mores hominum adèd sint alicubi perversi, ut salvo pudore talia inulta ferre non liceat, Prætor, cujus officium est, prohibere rixarum causas, etiam ad hosce casus actionem extendet. Alioquin obtinet, quod observatur in d. l. §. 5. non omnem in unam collectam vociferationem Prætoris notare, sed eam, quæ bonis moribus adversatur, quæque ad infamiam vel invidiam alicujus spectaret.
- IV. etsi in proverbium objecit, veritatem convitii non excusare ab injuria, ut advertunt Panormitan. ad cap. cum te 23. de Sent. & re judic. à num. 25. & Francisc. Joseph. de Angelis de Delict. p. 1. cap. 79. sub n. 11. quia tamen in l. cum qui 18. in pr. ff. d. t. Paulus asseverat. eum, qui nocentem infamavit, non esse bonum & æquum, ob eam rem condemnari: peccata enim nocentium nota esse & oportere & expectare in hoc Ludovicus de Ameno cum Claro lib. 5. §. injuria vers. item quæro num. 15. distinctionem asserit, num expediat Reipublicæ, quòd sciatur & propaletur crimen, v. g. quòd iste vel ille sit falsarius aut homicida &c. vel non expediat Reipublicæ, ut si quis dicatur 32 claudus, cæcus &c. In primo casu infamans seu injurians, si probet delictum, de quo alium infamavit, non delinquit, nec tenetur erga injuriatum; si autem minimè probet, tenetur. In altero casu, de quo nihil apertè judicat cit. Author, repetenda 34 erunt dicta in num. 26. & seqq. Advertit P. Schmier Supplem. Jurispr. Canonico-Civili.

tamen, hanc distinctionem solummodò procedere de Jure Civili & foro externo, in quo veri criminis objectio, si probatum fuerit, pœnæ non est obnoxia; in foro autem animæ non licere extrajudicialiter alicui objicere crimen infamans, licet verum sit, & probari possit.

V. juxta cit. Francisc. Jos. de Angelis d. 35 cap. 79. num. 26. mortuo & absenti non fit injuria, si sit persona privata; bene verò si persona sit publica. Verum textus, ab isto Authore citatus in d. l. item apud 15. §. 7. ff. de Injur. directè ostendit contrarium: nam, verba sunt textus, convitium non tantum præsentis, verum absentis quoque fieri posse, Labeo scribit: quod ipsum de mortuo traditur in l. in-juria 1. §. 4. ff. d. t. ubi, cum Ulpianus præmissis dat actionem injuriarum: quia spectat ad existimationem nostram, si qua ei fiat injuria; mox generaliter subjicit: idemque & si fama ejus, cui heredes existimus, læssatur. In- 38 terim distinctio, quam idem de Angelis in num. 27. addhibet de personis publicis v. g. officialibus, mihi universaliter placet, ut, si verba injuriosa proferantur contra absentem animò celandi, & ne in notitiam veniant injuriati, proferens non puniatur in foro fori, esto in foro poli nocens sit. Sin verò proferantur animò jactandi, ut veniant in notitiam injuriosi, à pœna non sit immunis. Quor- 39 sum etiam propendet Huberus ad tit. Inst. de Injur. num. 3. secreta, inquiens, obreptatio non est actioni injuriæ obnoxia: quia nulla tribunalia hisce querelis sufficerent exsequendis, ut monet Tuldenus ad d. tit. Cod. num. 9.

VI. propagatio & divulgatio eorum, quæ aliquis ab alio contra existimationem tertii audivit, tanquam pestilens detrahendi modus, equidem à multis, quos citat & sequitur Clariss. D. Franz ad tit. Inst. de Injur. n. 8. reprobat: cum propalans injurias, ab aliis auditas, non minùs præcendat alterius honorem, ac qui primus eas excogitavit; nihilominus non solum docent Moralistæ, si- 41 gnanter Sbogar in Theol. radic. tract. 60. cap. 2. num. 20. scæminas, & etiam aliquando politæ conditionis homines solere otiosè referre in conversatione gravia & occulta delicta proximi, ab aliis audita, absque ulteriori confirmatione aut amplificatione, & tamen à peccato saltem gravi excusari, nec ad restitutionem obligari: sed etiam cum Jureperitis suam doctrinam limitat mox cit. D. Franz, si quis vel cum protestatione de altero non injuriando, vel relativè & dubitanter, vel inter privatos parietes & amicos recensuerit, quid ab alio audiverit: idemque serè sentit 42 Stryckius de Jure sens. dissert. 3. cap. 3. n. 62. & seqq. & ab injuria liberat eum, qui auditam injuriam alteri bonà intentione refert, adjectâ protestatione de non habita voluntate injuriandi: item qui collocatus est cum illis, qui jam antè hac de re notitiam habuerunt,

runt, dum animus propalandi vel injuriandi esse non poterit, ubi nihil incognitum recen-

QUÆSTIO IV.

Utrum dominus animalis damnum, ab eo datum, in conscientia resarcire, vel animal noxæ dare teneatur?

- 44 **N**egavi in *hoc cap. à num. 201. & in n. 203.* argumentum sumpsi ex L. Aquilia, in qua concurrente etiam verâ culpa juridica, nulla est obligatio in conscientia, reparandi damnum: multò minùs igitur erit aliqua obligatio in conscientia, reparandi damnum, à quadrupede, sinè vera culpa domini, causatum.
- 45 Quodsi putes, disparitatem intervenire inter hunc & priorem casum, quòd, qui convenitur ex L. Aquilia, debeat reparare damnum cujuscumque æstimationis, & simul excessum quanti plurimi præstare, quæ est vera pœna damnum inferentis; econtrâ, qui convenitur actione quadrupedaria, non teneatur præcisè ad damnum reparandum, quod fortè valorem ipsius animalis excedit, sed vel ad reparationem damni, vel ad animal noxæ dandum, sicque, ubi jactura est gravior, possit se liberare cedendò ipsum animal: atque adeò ex quadrupede eatenùs sentiat incommodum, quatenùs sentit commodum.
- 46 Contra est: tum quia gravitas vel levitas damni nihil confert in ordine ad obligationem conscientie adstruendam, dum, qui nullius culpæ in conscientia reus est, nullum quoque damnum reparare tenetur, sive grave sit, sive leve: tum quia & obligatio alternativa, à Legibus inducta, facere nequit, ut quis in foro interno vel damnum resarcire, vel animal noxæ dedere obligetur, si nullum in conscientia reatum senserit: tum quia, qui commodum percipit ex animali, ad se pertinente, non hòc ipsò incommodum sentire debet ex cessione animalis, nocumentum inferentis, ex quo res sua nemini abs-
- 49 que illius culpa auferenda est: tum denique

setur, sed de re nota cum altero differitur: item qui audita ut audita refert.

quia actio quadrupedaria, cum juxta dicta in *hoc cap. à num. 190.* proveniat ex quasi-delicto, sitque eapropter pœnalis vel quasi- & ipsa damnificatio animalis in L. si quadrupes l. 1. ff. si quadrupes pauperiem &c. noxia vocetur, non potest in foro conscientie plus operari, quàm actio L. Aquiliae, itidem ex delicto descendens, & quatenùs concernit personam rei conventi, cum actionibus pœnabilibus conveniens.

Dices: ex damno, ab animali dato, saltem solum oriri obligationem in conscientia, quando illius dominus ab eo, qui pauperiem seu damnum passus erat, interpellatus fuit, nec spes obtinendæ remissionis subest: quia injustum foret, si ad judicium, in quo certè succumberet, ac inanes sumptus & molestias alterum vellet cogere.

Resp. hoc argumentum, si quam vim haberet, non tantum in actione quadrupedaria sed etiam in actione L. Aquiliae, omnibusque aliis, ex delicto vel quasi-oriundis, applicari posse: cum justitiae repugnet, ut, qui de damni reparatione fuit interpellatus, ac spe consequendi remissionem destitutus, velit adversarium remittere ad judicium, in quo, suppositâ delicti vel quasi-delicti certitudine, evidenter vincetur, & ad satisfactionem præstandam condemnabitur. Sicut igitur in cæteris delictis vel quasi-talibus sola interpretatio damnum passi non fundat obligationem conscientie; ita non fundat in præsentem quasi-delicto: poteritque dominus animalis, qui nullius reatus sibi conscius est, salvâ conscientia expectare, usquedum à Judice per sententiam ad damni compensationem vel noxæ deditionem adstringatur.

CAPUT II.

De Delictis publicis.

SUMMARIA.

1. & seqq. Varia rationes conglabantur pro sententia, docente, quòd Clerici crimen læsæ Majestatis contra Principem sæcularem committere possint. 7. & seqq. Respondetur ad singulas. 15. Inter species delictorum carnalium notatur lenocinium. 16. Requiritur actuum frequentiam. 17. & seqq. Illius exempla. 19. & seqq. Pœna. 21. Notatur etiam coitus

- Christiani cum Judæa. 22. Tutoris cum pupilla. 23. Domini cum servo. 24. Custodis carceris cum incarcerata. 25. Magistratus cum subdita. 26. Viventis cum mortua. 27. & seqq. Cujusque masculi cum Moniali. 29. Diversa exempla criminis falsi quoad dicta. 30. & seqq. Scripta. 33. & seqq. Et facta.

QUÆ

QUÆSTIO I.

An Clerici adversus Principes sæculares possint committere crimen læsæ Majestatis?

- 1 **S**ententiam negantem, quam insinuavi in *hoc cap. num. 5.* loquendò de Jure Canonico veram appellat Ludovicus de Ameno in *tr. de Delict. & Pœn. tit. 2. §. 6. numer. 15.* sed loquendò de Jure Civili ac de facto, asserit, prævalere opinionem affirmativam. Rationem dat I. quia credibile non est, quòd Imperatores, qui privilegia exemptionis Clericorum à laica potestate indulerunt, ita eos à propria Jurisdictione liberaverint, ut, si contra eorum imperium aut vitam machinaverint, voluerint eos non centeri posse reos Majestatis, & à se, vel ab eorum Judicibus puniri non posse. II. quia, tamen Clericus ratione Ordinis Ecclesiastico Judici plenò jure subdatur, tamen ratione personæ non desinit esse pars Reipublicæ, quæ subest Principi, ac esse de districtu aut provincia sui Principis. III. longè perfectior est character baptismi, per quem transferimur à peccato ad gratiam, à statu hostium ad gradum filiorum DEI, & ad capacitatem Divinæ hæreditatis, quàm sit character Ordinis, qui gradum dignitatis tantum in Ecclesia militante importat: unde, cum primus character non eximat potestatem Principis naturalis & sæcularis, dum etiam natus sub dominio Principis infidelis, si baptizetur, manet ipsi subjectus; pariter secundus character non tollit subjectionem erga Principem sæcularem, nisi in quantum ipse voluerit. IV. quia generale privilegium exemptionis Clericorum à potestate laicali non videtur comprehendere hunc casum, attentâ Juris regulâ, quòd in generali cessione non veniant ea, quæ quis in specie non esset verosimiliter concessurus. *cap. 81. de R. J. in 6.*
- 6 **V.** quia notum est, quòd natus subditus Principis juret illi homagium ac fidelitatem, saltem per Magistratum publicum, qui in die inthronisationis omnium nomine præstat fidelitatis juramentum: nulla autem Lex Canonica vel Civilis extat, quæ tale juramentum relaxet subdito, assumenti habitum Clericalem.
- 7 **H**as rationes non esse triviales, sponte agnosco; eò tamen collimantes, ut Clericorum exemptionem contra nostra & aliorum principia arbitrio Principum sæcularium penitus subjiciant. Sic enim ratio I. supponit, exemptionem Clericorum ex solo Imperatorum privilegio descendere; cum tamen, si loquamur de exemptione personali, plerique ad Jus Naturæ & Divinum illam nobiscum referant. II. ratio solutionem capit ex *lib. 3. tract. 1. p. 3. cap. 4. à num. 145.* quòd

nempe Clerici, assumendò Clericatum, mutant personam, forum, & subjectionem; censenturque esse alterius Regni & territorii; & quamvis maneant partes Reipublicæ, sint tamen partes privilegiatæ, eandem cum laicis subjectionem non agnoscentes. III. ratio solvitur disparitate, ex *cis. cap. num. 131. & seqq.* petitâ: quia character ordinis per signum aliquod intrinsecum Clericos efficit DEI Ministros, Rectores populi Christiani, & Pastores ovium; sicque non permittit, ut sub sint potestati Laicorum, quos regere & paciscere tenentur; character autem baptismalis non constituit homines baptizatos populi Rectores & Pastores, indeque non impedit, quòd minùs sæculari potestati subesse valeant. IV. ratio laborat falsò supposito, quòd immunitas clericalis præcisè ex beneficio Principis sæcularis promanet. Et, datò non concessò, adhuc dubium manet, an non Principes sæculares, concedentes omnimodam Clericis exemptionem, etiam hunc casum comprehenderint, & cum Clerici non amplius sint ipsorum subditi, à crimine Majestatis ipsos absolverint. Nec enim dicimus, Clericum non peccare, si adversus Principem aliquid injuriosum aut hostile molitur, sed tantum asserimus, hunc temerarium ausum non esse crimen læsæ Majestatis, quòd non committitur, nisi à subditis contra Superiores. V. ratio subnectitur ex nostra *Jurisprud. publ. univers. lib. 5. cap. 4. à num. 1.* ubi conclusum est, subditos à jurata sua fidelitate, obedientia, & subjectione absolvi hòc ipsò, quòd transeant ad aliam Civitatem seu Rempublicam: solvitur enim tunc nexus, quò Reipublicæ priori erant obnoxii, & cum nexu tollitur obligatio subditi erga Imperatorem. Quin tamen Clericus adhuc debeat reverentiam Principi, cui antehac per se vel alium Sacramentum dixerat, apud me dubio caret, præsertim si adhuc in illius ditione subsistat: meritò enim reveremur & honoramus eos, à quibus vel antecederet protectionis fructum percepimus, vel adhuc sentimus. Sufficiet interim Principi, à Clerico graviter offenso, si juxta Olviam & P. Friderich in *lib. 2. tr. 1. cap. 3. num. 273.* citatos, possit Clericum, conspirationi ac rebellionem se immiscentem, tanquam hostem, non solum in conflictu, sed etiam postea, non quidem jure Jurisdictionis sed jure defensionis capere; licet antea in ipsum procedere nequeat, quamdiu in foro Ecclesiastico justitia administranda spectatur.